

tus specie in duplici causa, et non solum ejusdem effectus numero, cum tamen constet posse a diversis causa procedere effectus ejusdem speciei, ut calor procedit a cœlo, et ab igne; et tamen currit idem argumentum, quia si per se continet utraque causa calorem, utraque causa necessarie requiretur ad calorem. Respondetur ergo, quod causam per se continere effectum stat dupliciter uno modo persèitate ipsius causæ, quia hoc per se requiritur ad ejus virtutem et perfectionem, alio modo persèitate effectus, propter necessitatem ipsius in dependendo a tali causa. Primo modo dicitur utraque causa totalis per se continere effectum alterius, et sic potest effectus multis modis contineri in aliqua causa, imo quanto perfectior causa est, tanto pluribus modis continet effectum, nec tamen omnes modi necessarii sunt ad effectum. Secundo vero modo effectus non continetur in duplici causa totali, neque hoc requiritur, ut ab utraque causa possit dependere.

Ad exempla, quæ pro opposita sententia adstruenda adducta sunt, ad duo prima constat ex dictis, quia procedunt in duplici causa totali, altera increata, altera creata. Ad ultimum vero exemplum, quod procedit de duabus causis creatis, respondetur quod in illo casu, supposito quod illa luminosa sint æqualis perfectionis omni modo, ita quod neutrum possit alterum perficere, vel modificare; dico quod vel suam virtutem unient sicut duo portantes lapidem, quorum quilibet erat sufficiens portare; licet enim agentia naturalia, non possint sic pro libito suam virtutem modificare, et continere; tamen quando duo agentia naturalia concurrunt simul, ne mutuo se impediant in agendo, possunt ratione ipsius concursus mutuo se modificare, et in unam virtu-

tem conspirare in agendo. Vel secundo dico, quod in illo casu propter tam æquale impedimentum utriusque causæ æque perfecte concurrentis, circa idem subjectum mutuo se impedient, ita quod utrumque cessabit ab agendo, quia non est capax materia recipiendi effectum utriusque, quia ut poniteas utrumque est luminosum ut octo; duæ autem luces in summo gradu non possunt in eadem parte subjecti recipi, saltem naturaliter.

Ex quo sequitur quod si sol producat lucem in aere, poterit Deus eandem numero conservare remotè sole, quia continet eminenter in sua virtute et actione illum effectum numero totaliter, non tamen poterit eadem numero lux conservari ab altero sole, tanquam a causa principali, quia producit diversa actione limitata, non continente totum effectum numero, et totaliter alterius solis.

Contra secundam conclusionem instari potest: Quia non repugnat duas formas recipi simul in eadem materia, neque ex parte materiæ, neque ex parte formarum, neque ex parte unionis; ergo ex nulla parte. Non ex parte materiæ, quia ipsa simul habet capacitatem omnium formarum, quæ non destruitur per receptionem unius; ergo bene poterit a Deo introduci alia forma conservata priori. Non ex parte formarum, quia non sunt immediate, et positive contrariæ sicut formæ accidentales. Quod autem ex una forma sequatur privatio alterius, non obstat, quia est effectus secundarius, qui potest impediri a Deo remanente primario, ut patet in quantitate, a qua tollit extensionem ad locum, quæ est effectus secundarius. Nec ex parte unionis, quia hæc non repugnat, si extrema non pugnant.

Respondetur repugnantiam plurium formarum in eadem materia

simul sumi ex eo quod dictum est, quia essentialiter formæ substantialis ordinantur ad constituendum esse substantiale, quod in tantum est substantiale, in quantum est primum et substans aliis; repugnat autem in aliqua materia inveniri duo esse æque prima, et consequenter æque substantialia. Et quia potentialitas materiæ substantialis est, et ad substantiale esse ordinata, ideo non habet potentialitatem ad recipiendum plures formas substantiales simul, sed successive. Effectus autem secundarii non semper possunt impediri a Deo stante primario, præsertim quando sunt negativi, et intrinsece modificantes primarium, sicut non potest impedire in homine negationem leonis, in fide vel opinione obscuritatem, et similiter in forma substantiali, quod non det primum esse et substans aliis, atque adeo, quod non supponat aliam formam priorem.

QUESTIO XI.

DE CAUSA MATERIALI, FORMALI, ET EXEMPLARI.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit causa, et causalitas materialis?

Cujuslibet causæ consideratio consistit in quatuor, scilicet quid sit actus primus, seu constitutum talis causæ, et quibus conveniat. Secundo, quid sit actus secundus, seu causalitas. Tertio, quæ sit conditio requisita ad causandum. Quarto, quid sit ejus effectus, et causatum.

Circa primum, supponenda est definitio causæ materialis, tradita

a Philosopho in hoc libro, cap. II, quod *causa materialis est, ex qua fit aliquid, cum insit*. Quam definitionem explicamus sic, quod per illam distinguitur causa materialis a privatione, ex qua etiam fit aliquid, sed non tanquam ex eo, quod inest et permanet, sed quod non manet, neque est; transit enim privatio, et succedit forma. Cur autem definiat Philosophus materiam per id *ex quo aliquid fit*, non per id *in quo aliquid recipitur*? Ratio videtur esse, ut complectetur omnia ad quæ se extendit causalitas materiæ, ex materia enim fit compositum, et fit forma, sed compositum non recipitur; forma vero recipitur. Unde per *ly fieri* completebatur formam et compositum, per *ly recipi* solam formam, quæ tamen ex eo quod fit ut *quo*, et non ut *quod*, recipitur. Quod si aliqua forma non fit ex materia, ut anima rationalis, tamen adhuc pertinet ad istam definitionem, quia licet non fiat, nec dependeat in esse a materia, dependet quoad statum tamen informandi et communicandi se materiæ.

Hoc supposito dicimus, quod actus primus causandi materialiter potest inveniri. Primo, in materia prima respectu formæ. Secundo, in materia et forma unitis respectu totius. Tertio, in ipso toto respectu accidentium. Quarto, in uno accidenti respectu alterius, sicut quantitas respectu coloris, potentia cognoscitiva respectu cognitionis. Quinto, in dispositionibus respectu formarum ad quas disponunt. De materia respectu formæ constat ex supra dictis, questione tertia. Quod vero partes materialiter se habeant ad totum, quatenus trahuntur ad ejus esse ab eoque actuantur, docet pluribus locis S. Thomas ut in III part. qu. XC. artic. 1. par. 1. q. VII. art. III. ad 3. et quest. LXX. art. II. idque etiam explicat ex Philosopho

ii Physicorum, lectione v, circa tex. xxxi, ubi inquit: « Quod licet partes speciei, qui ponuntur in definitione, comparantur ad suppositum per modum cause formalis, tamen ad ipsam naturam, cujus sunt partes, comparantur ut materia, nam omnes partes comparantur ad totum ut imperfectum ad perfectum, quæ quidem est comparatio materiæ ad formam. » Ubi apparet, quod partes non dicuntur simpliciter causa materialis totius, sed modum materiæ habere quatenus considerantur ut imperfecta respectu totius, in quo perficitur compositio. De causa vero materiali accidentium non pertinet ad præsens disputare, an immediate subjectentur in toto vel in materia, de hoc enim in libris de generatio Deo dante agemus. Sed in præsentia sufficit advertere, quod sive subjectentur in toto, sive in materia subjectum *quod*, et ratio sustentandi accidentia debet esse ipsa substantia, quia sola ipsa debet esse per se, et hoc est sustentativum accidentium. Cæterum non omnia accidentia æque immediate recipiuntur in substantia, sed aliqua sunt, quæ immediate recipiuntur, ut quantitas in corpore, potentiæ operative in anima, alia vero sunt quæ mediantibus istis recipiuntur, sicut actus vitales et habitus operativi mediantibus potentis, et figura vel color mediante quantitate. Quod ex eo contingit, quia unum accidens habet connexionem cum alio, taliter quod nisi supponat illud non potest convenire subjecto, sicut actus vitalis cum sit actus secundus non potest convenire subjecto, nisi supponendo potentiam, quæ est actus primus. Quam doctrinam ex D. Thoma I-II, q. vii, artic. I ad tertium, et qu. II de Virtutibus, art. III ad secundum retulimus in Logica qu. xv, art. v.

Statim vero se offerebat difficultas ex illo vulgari axioma: Quia actus et potentia sunt in eodem genere, quod ex Aristotele communiter admittit D. Thomas præsertim II part. quæst. lrv, artic. III, et quæst. lxxvii, artic. I, ut inde ostendat potentias operativas non esse substantias, quia actus, ad quos ordinantur, accidentia sunt. Videtur autem in præsentia instari illud axioma, cum dicamus substantiam immediate esse potentiam receptivam accidentium. De hoc autem axioma variæ explicationes a diversis traduntur, de quo videri potest Pater Suarez disp. xiii, Metaphys. sect. II, et nos aliquid attingemus sequenti questione. Breviter dicimus, illud axioma intelligi de potentia et actu per se, et essentialiter ordinatis, ut quando actus specificat potentiam, et ab illo pendet in proprio esse sicut materia per se ordinatur ad formam, et potentia operativa ad operationem, seu actum, a quo specificatur. In his enim bene valet, quod actus et potentia sunt in eodem genere, quia si actus specificat potentiam, et trahit ad suam speciem, consequenter utrumque debet manere sub eodem genere. At vero substantia non specificatur neque essentialiter pendet ab accidente sed e converso. Unde non oportet, quod talis potentia et actus sint in eodem genere, quia unum est specificativum alterius.

Denique, loquendo de causa dispositiva, etiam reducitur ad causam materialem respectu formæ, ad quam disponit. Unde dicit D. Thomas I-II, q. xxvii, art. III: « Quod ad materialem causam reducitur dispositio, » et in IV, dist. xvii, q. II, art. v docet: « Quod dispositio reducitur ad causam materialem si accipiatur dispositio, quæ disponit materiam ad recipiendum, secus autem de dispositione agentis ad

agendum, quia illa reducitur ad genus causæ efficientis. » Imo etiam ad rationem causæ formalis reducitur a D. Thoma in IV, dist. II, q. II, art. I, quæstiuncula I ad secundum ubi dicit: « Quod dispositio reducitur ad genus formæ, ad quam disponit. » Et non mirum, quod omnes istas reductiones dispositio habeat, quia est medium deserviens efficienti ut agat, materiæ ut determinetur et præparetur ad formam, formæ ut termino ad quem tendit et a quo specificatur, et sic secundum varias considerationes ad diversas causas reducitur sicut medium quod participat de extremis, et ad extrema reducitur. De quo etiam videri potest D. Thomas q. xxviii, de Verit. art. VIII.

Unde constat, inefficaciter aliquos probare, quod dispositio non pertinet ad causam materialem, quia non recipit formam, sed sola materia patitur illam; quod vero præparet materiam non pertinet ad causam materialem, quia hoc vel fit expellendo oppositam dispositionem, et hoc facit formaliter, non materialiter, vel juvando actionem efficientis, et hoc facit efficienter, non materialiter. Nihilominus hæc probatio, solum est contra hoc, quod dispositio sit causa materialis principaliter, et per modum subjecti; sic enim constat, quod dispositio non recipit formam, non tamen probat, quod reductive non pertineat ad genus causæ materialis, quatenus præparatio materiæ non solum fit tollendo oppositam dispositionem, qui est effectus secundarius et negativus, sed etiam indifferentiam et potentialitatem materiæ positivè determinando ad hanc formam potius, quam ad aliam; materia autem sic determinata materialiter recipit formam, et ita illa determinatio materiæ ad eandem causam materialem reducitur.

Causalitas materiæ.

Multiplex et varia circa hoc Auctorum sententia. Cum enim materia causet dupliciter, scilicet in fieri, quando primo res generatur, et materia per immutationem sui recipit formam, et in facto esse, quando per modum compositionis cum forma constituit totum, quia utrobique est dependentia a materia, ut a principio causante, dividuntur valde Auctores in assignando causalitatem materiæ, quæ pro utroque deserviat. Unde aliqui ut Conimbricienses II Physic. quæst. VI et VIII, assignant duplicem causalitatem materiæ, aliam circa compositum, quæ solum ordine sunt una causalitas, non formaliter: et dicunt hanc causalitatem esse modum superadditum materiæ. Alii ut Pater Suarez disp. XIII Metaphys. sect. IX, tenent quod causalitas materiæ respectu formæ, si sumatur in fieri est ipsa generatio seu unio, ut pendens a materia, causalitas vero in facto esse dicit, quod est ipsa unio: et istas causalitates dicit esse distinctas ex natura rei, sicut generatio distinguitur a forma, et unio ab unione. Alii solum actionem agentis quatenus ex receptione educitur forma, dicunt esse causalitatem materiæ nec aliam requirendam esse. Ita Cabero hic tract. II, disp. III, dub. II, qui addit, causas istas formæ et materiæ constitui in actu secundo per connotationem effectus existentis. Alii explicant causalitatem materiæ per receptionem formæ, Sed quia hoc ipsum inquirimus, scilicet quid sit receptio formæ, dicunt aliqui consistere hoc in influxu in formam per modum passionis, qui in re non distinguitur ab actione efficientis, in compositum vero per modum unionis. Ita Martinez II Physic. q. III,

notab. III. Alii denique existimant hanc receptionem seu causalitatem materiæ non esse aliud, quam exhibitionem sui ad formam, et sic non distinguunt causalitatem materiæ ab ipsa materia. Aqua sententia non discedunt Scholasticæ, qui juxta sententiam Doctoris subtilis dicunt causalitatem materialem fundamentaliter esse aliquid absolutum non distinctum ab ipsa entitate materiæ, quia per suam entitatem causat compositum, formaliter vero in actu secundo dicere respectum ad causatum quia formaliter constituitur causa per respectum, de quo videri potest Fluente II Phys. q. III, diff. II, art. I.

Nihilominus dicendum est: Quod causalitas materiæ est concursus passivus, a quo forma dependet, sive in essendo, sive in informando, quo nihil est aliud realiter, quam ipsa passio illata ab agente, non prout ab agente, sed prout in materia et ex materia: et ista causalitas servit tam ad formam, quam ad compositum. Deducitur ex Philosopho III Phys. tex. XIX et ibi D. Thomas lect. V, ubi dicitur: « Quod actio est actus activi, et passio actus passivi; ergo passio constituit passum in actu secundo. Et in I contra Gent. c. XVI dicit: « Quod materia non fit causa in actu, nisi secundum quod alteratur, et movetur, » actualis ergo causalitas materiæ, est immutatio ejus recipiens formam. Et VIII Met. lectione ultima inquit: « Quod nulla est causa faciens unum ea, que sunt composita ex materia, et forma nisi quod movet potentiam in actu. »

El applicatur hæc sententia, quia materia dicitur causæ in actu primo, in quantum est potentia receptiva formæ, ut actuata per formam constituat compositum quod resultat ex tali conjunctione materiæ, et formæ, sed potentia recep-

tiva non potest aliter concurrere quam ipsa potentialitate ut passive se habente, quia potentialitas formaliter opponitur actualitati, quæ vel actuando vel agendo causat in actu secundo; ergo potentialitas causare debet passive se habendo; passio ergo, a qua dependet forma ut sit in materia est concursus seu causalitas ejus in actu secundo sed constat, quod passio est immutatio ipsius subjecti pendens quidem ab agente, ut illata ex actione, sed orta ex materia, et in materia, ut ex patiente et recipiente, ergo ipsa causalitas materiæ. Deinde, probatur eadem pars, quia passio ista seu mutatio, et passivus concursus habet materiam pro principio passivo, et formam pro termino, et est ratio, per quam dependet forma a materia, et non convenit alteri, quam materiæ causare per illam; ergo habet omnia requisita ut sit causalitas materiæ. Primum patet, quia passio non innascitur ex solo agente, sed etiam ex potentia subjecti; agens enim quod nullum habet subjectum nullam infert passionem, ergo passio habet pro principio ipsum subjectum seu materiam. Secundum patet, quia ista passio seu concursus passivus facit aliquid de novo esse in materia, ergo terminatur ad aliquid receptum, et positum in materia, quod non est aliud quam forma, ergo terminatur ad formam. Tertium vero constat, quia in tantum dependet forma a materia, sive in essendo sive in informando, in quantum forma, quæ est in potentia materiæ reducitur in actum ut recepta in materia, et non extra ipsam; ergo hæc dependentia formæ a materia fit mediante mutatione materiæ de potentia in actu, sic enim actu pendet forma a materia subjective, in cujus potentia antea erat objective, ergo mediante mutatione materiæ passiva et reducta de

potentia ad actum pendet forma a materia, et consequenter causatur ab illa. Quartum denique constat, quia agens propria datur causalitas, quæ est actio formæ, causalitas, quæ est actuatio: neutri ergo propria est passio, sicut materiæ, licet unio communis sit materiæ et formæ secundum denominationem uniti, et conjuncti.

Quod vere iste concursus passivus materiæ deserviat etiam ad causandum in facto esse tam formam, quam compositum, constat; nam quod attinet ad formam, ipsamet passio seu mutatio, qua primum facta est, et conjuncta materiæ manet in facto esse per continuationem ejusdem formæ in materia, sicut actio manet in facto esse in effectu, quamdiu in eo manet existentia, qua est productus. Unde in Logica q. XVII, art. III, circa tertiam difficultatem diximus ex D. Thoma fundari relationes causæ et effectus in ipsa actione et passione, non prout considerantur in fieri tantum, sed in facto esse, hoc est prout relinquuntur aliqua determinatio ex ipso fieri actionis et passionis in rebus, ergo manet ipsa passio in facto esse virtualiter, et sic continuatur causalitas erga formam. Et hoc ex ipsa natura motus deducitur, quia ut D. Thomas advertit I Phys. lect. II, res quæ movetur, est in potentia ad duos actus, scilicet ad actum imperfectum, qui est motus, et ad actum perfectum, qui est terminus motus. Sic ergo materia eadem causalitate respicit formam per passionem in fieri, et cum est in termino motus in facto esse, quia licet cesset motus, manet tamen terminative in suo termino. Eadem autem causalitas, quæ respicit formam in fieri et in facto esse, necessario attingere debet compositum, quia ex ipsa communicatione et conjunctione materiæ et formæ necessario

compositum resultat, ergo causalitas quæ attingit formam conjungendo illam passive, consequenter debet attingere compositum, neque est necesse multiplicare causalitates.

Quod si objicias: Nam materia et forma causant mediante unione ipsum compositum, ergo etiam mediante eadem, materia causabit formam et e contra; siquidem eadem est causalitas materiæ erga compositum, et erga formam. Item materia causat per modum causæ intrinsecæ, est enim pars constitutiva compositi, ergo est assignanda illi causalitas intrinseca, hæc autem non est passio sed unio; nam passio est mutatio ab agente in materia: unio vero intrat ipsam unitatem compositam ex extremis, et eadem ratione non potest causalitas materiæ primo, et per se sumi respectu formæ; sed respectu compositi, quia respectu formæ causalitas ejus non potest esse intrinseca. Item quia passio in fieri est idem cum motu et actione, et in facto esse est idem cum forma, seu effectu, vel ejus unione, ergo causalitas materiæ in facto esse ab unione et receptione formæ non distinguitur. Patet consequentia, quia id quod remanet ex passione in facto esse, non est aliud quam effectus productus ut subjecto unitus seu receptus, et hæc receptio non nisi unione fit, etiam præciso quocunque alio, et ipsa unio non est effectus per modum termini causatus a materia, sed tanquam modus, et medium uniendo se ipso educitur a materia, ergo habet omnia requisita, ut sit causalitas materiæ in facto esse.

Ad primum respondetur unionem non esse causalitatem materiæ respectu compositi, tum quia est communis materiæ et formæ, et sic oportet aliquid ulterius assignare, quo distinguatur causalitas materiæ a causalitate formæ; tum, quia unio

non est ipsa causalitas materiæ formaliter, sed consecutive si sumatur pro relatione unitorum, vel si sumatur pro ipsa actione, passione ad unionem requisita, sic passio ut importat passivum concursum, est causalitas materiæ, ut autem tendit ad coadunandum extrema in aliquam unitatem, sic fundat unionem, quæ est relatio, non causalitas.

Ad secundum respondetur, materiam esse causam intrinsecam, id est, inclusam in composito non tamen respectu formæ, quam recipit: ad hoc autem non exigitur distincta causalitas respectu formæ, et respectu compositi, quia respectu compositi solum est resultantia quædam, non ex sola causalitate materiæ, sed ex concursu utriusque causalitatis, scilicet materiæ et formæ resultans: qua ratione materia et forma simul proprie non causant totum, tanquam a se distinctum, sed ex earum causalitatibus consequitur, ut utrumque includatur in toto.

Ad tertium negatur consequentia, et dicitur, quod sola unio formæ in facto esse non potest esse causalitas materiæ, quia ut dictum est unio secundum se est relatio communis, et ejusdem rationis seu æquiparantia in materia et forma, et sic oportet aliquid addere præter unionem, ut distinguatur a causalitate formæ, scilicet passivum concursum, qui in facto esse dicit continuationem seu determinationem ex priori passione in fieri relictam, seu continuatam. Unde sola et præcisa unio, etiamsi esset medium inter materiam et formam, et non causaretur ab illa ut effectus, sed ut tale medium adhuc non habet omnia requisita, ut sit causalitas materiæ in eo in quo distinguitur a causalitate formæ.

Sed inquires: An receptio materiæ distinguatur ab unione, et possit una separari ab alia saltem di-

vinutus? Aliqui affirmant, et ducuntur quia dicit Philosophus in *Physic.* cap. III, formam in materia recipi, esse quod accidentale, unde et receptio seu causalitas materiæ est passio quæ est prædicamentum accidentale, unio autem materiæ et formæ aliquid substantiale est, præsertim si partes se ipsis ununtur. Deinde, quia videmus hæc duo separari, quia anima unitur materiæ, nec tamen recipitur in illa, cum non dependeat ab illa, ergo non repugnabit per Divinam potentiam unum sine alio stare etiam ab aliis formis. Et sic concedunt, quod formaliter ex receptione formæ in materia non resultat totum quousque adveniat unio.

Cæterum si hæc sententia solum vult, quod passio et unio sint distinctæ formalitates, quia sunt distincta prædicamenta, est enim unio relatio resultans ex passione, sic illam admittimus. Si autem vult posse istam resultantiam unionis impediri ita quod posita passione, non sequatur unio formæ, est implicatoria, quia implicat ponere passionem et actionem sine termino, et terminum sine unione formæ, neque enim terminus actionis et passionis est forma secundum se tantum, aut ut dependens tantum a materia, et non ut unita seu faciens unum cum subjecto, sicut calefactio non solum habet pro termino calorem, sed etiam calidum, et generatio equi non solum habet pro termino formam equi ut receptam, sed etiam ipsum equum, qui est unum resultans ex unione formæ et materiæ equi, ergo illa actio non potest sistere in receptione formæ, et non transire ad ipsam unionem, et resultantiam totius, ita quod unio separaretur a receptione formæ, alioquin daretur generatio equi sine equo, et calefactio sine calido, si autem non potest actio separari ab

ipso toto, quod producitur, et consequenter ab unione partium, ergo neque passio seu receptio, quæ est idem cum actione, poterit ab unione formæ separari.

Ad oppositum fundamentum respondetur quod formam recipi accidentarium est materiæ prædicabiliter, sed non prædicamentaliter; accidit enim materiæ talis forma substantialis, quia sine ipsa in particulari conservari potest sub alia, quod tamen non tollet ipsam formam et unionem substantialem esse, sicut hominem habere duas manus, vel duos oculos accidentale est homini, non tamen manus accidens sunt, neque enim omne quod accidit, accidens est prædicamentale, sed sufficit quod essenziale non sit.

Ad secundum respondetur quod quando forma non educitur e materia, unitur illi sine receptione, quia creatur illa forma independentem a materia, et ut independens unitur et sic probat argumentum, quod non omnis unio est receptio, non tamen quod receptio potest inveniri sine unione, præterquam quod licet anima rationalis sumatur sine dependentia sui a materia, non tamen sine dependentia materiæ a se, quæ per aliquam immutationem, seu passionem sui unitur formæ, et causat in forma non esse, sed informantem esse, et sic semper unio est cum aliqua dependentia, etiam formæ.

Conditiones materiæ ad causandum.

Ad tres possunt reduci, secundum triplicem respectum materiæ; primo enim consideratur conditio requisita ex parte sui; secundo, per respectum ad alias causas, cum quibus duo causat, vel quibus subordinatur; tertio, respectu effectus seu causati, cui conjungitur.

Quantum ad primum conditio re-

quisita ex parte sui est existentia, de qua dicimus, in materia prima respectu formæ substantialis requiri existentiam ad causandum passive, sed non prærequiri, in causa vero materiali accidentium, quæ est subjectum sustentans, etiam existentia prærequiritur. Sumitur hæc doctrina ex D. Thoma VIII *Metaphysicorum*, lectione IV, ubi inquit: « Quod accidentia non habent materiam, ex qua sint, sed substantia est ejus subjectum; subjectum autem habet aliquid simile materiæ, in quantum est receptibile accidentis. Differt autem a materia, in quantum materia, non habet actu esse nisi per formam, subjectum autem non constituitur in esse per accidens. » Et opusc. XXXI, in principio dicit: « Quod materia est illa, quæ recipit esse per formam, subjectum autem non recipit esse a forma accidentali, sed sustentat eam in esse. » Unde constat, quod quia materia prima recipit formam dantem esse, non oportet, quod habeat existentiam antecedenter ad causationem, sed sufficit quod habeat illam concomitantem, et in termino suæ causationis, quia recipit illam per formam: at vero subjectum sustentans, quia non recipit esse simpliciter ab accidentibus, sed supponit, consequenter præhabet esse ante talem causationem materialem.

Et si objicies: Quia omnis causa realis debet existere ad causandum, causalitas autem in actu supponit causam in actu, alioquin esset causa tantum in potentia, imo et pro illo priori quo causat, necessario supponitur causa esse realis et in actu, alioquin causalitas realiter non exiret ab illa, ergo non solum concomitantem, sed etiam pro illa prioritate antecedenti prærequiritur existentia. Respondetur quod causa realiter causans in re, et quantum ad instans in quo, necessario debet

existere, sed ad hoc sufficit existentia concomitans; seu illa quam habet materia in ipso toto, sive quod corrumpitur, sive quod generatur: in illa autem prioritatem naturæ, seu causalitatis materiæ non requiritur existentia, sed sufficit ad realitatem causæ realitatis potentiæ suscipientis esse, non habentis esse, nam hoc quod est recipere et habere capacitatem ad esse, aliquid reale est, sed est realitas entis in potentia, quale est materia, non entis in actu; ens autem potentiale hoc ipso, quod habet capacitatem ad esse, licet nondum intelligatur habere esse, aliquid reale est, quia si esset nihil, non esset capax habendi esse. Et ratio hujus est, tum quia illa prioritatis causandi non explicat, quod res sit, vel quomodo sit, sed qua ratione, et sub qua formalitate causet, causare autem materiæ non est causare actualitatis, sed potentialitatis, quia recipere in quantum tale ad actualitatem non pertinet, et sic pro illa prioritatem non explicatur actualitas, quam in re habet materia, sed potentialitas: tum etiam, quia forma, licet pro illo priori intelligatur dependere a materia, non tamen totam realitatem explicat pro tunc causalitatis materiæ, sed solum realitatem, quæ potentialitatis est, quod vero habet de actualitate, participat ab ipsa forma, ad quam tendit talis concursus materiæ, ut ab illa habeat esse. Quare realis causalitas sufficit, quod in re sit realiter a materia, non tamen oportet, quod in omni signo et consideratione omnis realitas ejus explicetur, sicut homo sub conceptu hominis præcise non explicat realitatem entis, licet in se ens reale sit.

Secunda conditio requisita in materia ad causandum materialiter, est ordo seu determinatio, quam habet ab aliis causis, ex quarum concursu dependet in causando, sicut

patet, quod a causa efficiente mediante dispositionibus determinatur, et applicatur materia ad hanc formam, vel ad illam, et similiter determinatur a concursu Divino, non materiali, sed effectivo ut libro octavo dicemus; et sic istæ determinationes, seu dispositiones sunt conditiones necessario requisitæ ad causandum materialiter. An vero materia prima, quia in genere causæ materialis est prima, aliquid causalitatis habeat in reliquis causis materiales, responderetur habere causalitatem in omnes, ad quas ejus receptio extenditur, quia enim omnes materiæ secundæ sunt substantiæ compositæ ex materia et forma; consequenter resolvuntur in materiam primam, et dependet ab illa, ut a primo recipiente, non ut a primo determinante; primum enim determinans est primum agens, non potentia materiæ.

Tertia conditio sumitur in materia per ordinem ad effectum, et præter proportionem, quæ requiritur inter materiam et formam, quæ provenit ex dispositionibus, requiritur etiam ut conditio indistantia, seu approximatio inter materiam et formam, ut uniantur et resultet compositum, quæ indistantia non est idem, quod unio, nam separata anima a corpore potest illi fieri præsens, sicut alteri corpori, sine hoc quod informet illud.

Effectus materiæ.

Tres possunt numerari effectus, circa quos versatur materia, et quinque rationes, quæ sunt causatæ in illis. Versatur enim materia circa formam recipiendo, compositum constituendo, generationem patiendõ ab agente. Rationes autem causatæ sunt. Primo, esse formæ si sit dependens a materia, vel modus es-

sendi informative, si non sit dependens. Secundo, causat limitationem, forma enim limitatur per ordinem ad materiam. Tertio, causat incommunicabilitatem, quia est ultimum subjectum, ultra quod non transit forma. Quarto, causat individuationem. Quinto, causat unitatem, et constitutionem compositi, simul concurrendo cum forma.

Quod materia versetur circa illa tria constat, quia omnia illa dependunt a materia ut a principio, compositum quidem, quia resolvitur in materiam, et sic dependet ab illa; forma autem quia sine materia esse non potest, si sit forma educta, vel saltem sine illa informative esse non potest, quod pertinet ad modum essendi formæ. Denique, generatio dependet a materia, quia est transmutatio, quæ sine materia stare non potest, quæ est subjectum mutationis. Sunt tamen qui putant solum compositum esse effectum causæ materialis, eo quod materia causat, ut causa intrinseca; solum autem est intrinseca respectu compositi. Sed respondetur quod materia causat formam, non componendo, sed recipiendo, et respectu ejus non est causa intrinseca, et tamen forma dependet ab illa; est tamen intrinseca respectu compositi, quatenus resultat ex conjunctione materiæ et formæ.

Quod vero omnes illas rationes causet materia constat, nam quod limitet formam, tradit D. Thomas prima parte, quæstione septima, articulo primo, eo quod forma de se est communicabilis huic, vel illi materiæ, et non limitatur ad unam, nisi quatenus recipitur, seu ordinatur ad determinatam materiam; sic enim ex hac receptione vel ordine, non potest ultra communicari alteri materiæ totali, nec transire de materiæ in materiam, quia individuatur ab una, et ut individuata li-

mitatur ad illam; materia autem transit ad plures formas saltem diverse licet sit ratio, ut nec forma, nec natura transeat ad plura, sed in se sistat; similiter quod sit principium incommunicabilitatis, et individuationis, docet tertia parte, quæst. septuagesima septima, art. II, et opuse. XXIX, et pluribus aliis locis, ex quibus ostendimus in libris de Generatione, materiam esse principium individuationis, quia est ultimum subjectum, ultra quod non fit communicatio, et multiplicatio, formæ, nec natura.

Solum potest esse difficultas circa compositum et formam, quia non apparet, quomodo forma causeatur in suo esse a materia, nisi in quantum redditur sustentata, et recepta, quod non est aliud, quam formæ communicari materiam, et sic non tam ipsa forma causeatur, quam ipsa communicatio materiæ. Ex parte autem compositi constat, quod non causatur a materia, nisi simul concurrente forma, sic autem compositum non est quid distinctum ab ipsa materia et forma, et sic proprie non est quid causatum: si autem sumatur materia respectu formæ, sic non causat compositum, sed alteram partem ejus, scilicet formam.

Respondetur quod materia causat formam eo modo, quo dependet ab illa, scilicet vel quantum ad esse, si forma sit educta, et in sui productione et conservatione dependens a transmutatione et receptione materiæ, vel quantum ad officium informandi, quia forma non potest esse modo informativo, nisi dependenter a concursu passivo materiæ recipientis formam; unde S. Thomas opuse. XXXI, §. Viso quod sunt, dicit: « Quod materia dicitur causa formæ, in quantum forma non est, nisi in materia. » Et quando instatur, quod iste effectus non est aliud

quam communicatio materiæ, respondetur quod ex parte rei communicatæ non distinguitur effectus causæ formalis, vel materialis, a sua causa, ex parte tamen ipsius communicationis dicit unionem, quæ saltem præsuppositive importat aliquam immutationem novam, aut illam relinquit. Et præterea ex tali communicatione resultant alii effectus, non in ipsa re communicata, sed in eo cui communicatur, v. g. quod forma sit limitata, individuata, educta, existens, etc. qui effectus sunt in ipsa forma. Quod vero dicitur de composito, respondetur causari ab utraque parte, scilicet materia et forma unitis, non tamen proprie, sed dicitur resultare, et consequi ex vi prioris causalitatis, qua materia communicatur formæ, et forma materiæ, de quo plura diximus supra q. vi, art. iii.

ARTICULUS II.

Quid sit causalitas formæ, et ejus effectus?

Sicut articulo præcedenti ad quatuor capita reduximus ea, quæ pertinent ad causam materialem, scilicet ad actum primum seu rationem causandi, ad actum secundum seu causalitatem ejus, ad conditiones requisitas ad causandum, et ad effectus ab illa causatos; ita similiter in præsentem eadem de causa formali explicanda sunt.

Igitur quantum ad primum, forma ex opposito se habet ad materiam, quod sicut materia est potentia receptiva formæ, quæ potentia non est superaddita entitati materiæ; ita forma est actus, qui dat esse rei, sive substantialis, sive accidentalis, quæ actualitas non est aliquid superadditum entitati formæ, sicut nec potentialitas materiæ. Quare ratio seu principium causandi est ipsa

actualitas formæ per seipsam; ita quod secundum se est actus primus, seu principium actuans, et dans esse juxta quod dicit D. Thomas I p. quæst. lxxvi, art. vi et vii: « Quod forma per seipsam facit rem esse in actu, cum per essentiam suam sit actus, nec dat esse per aliquod medium; » et in v Metaph. lect. ii, inquit: « Quod hæc est ratio quare forma est causa, quia perficit rationem quidditatis rei. » Igitur ratio causandi in forma est ipsa actualitas, quatenus perfectiva est quidditatis.

Causalitas formæ.

Non minus difficultatis habet explicatio causalitatis formæ, quam materiæ, nec minus in ea est concertatio opinionum. Certum est autem, quod sicut materia causat per passivum concursum, seu receptionem formæ, quæ etiam ordinatur ad constituendum compositum, ita forma causat per actionem et informationem materiæ, quæ ordinatur ad constituendum compositum. Pleaque ergo existimant, causalitatem formæ non addere aliquid supra entitatem formæ, quia seipsam exhibet ad componendum totum, et solum addit relationem ad effectum; quem effectum ponunt esse ipsum compositum, unionem vero solum se habere ut conditionem, qua approximant inter se materia et forma. Ita ex schola Scoti docet Fuente I Physicorum, quæst. v, difficul. i, artic. iii, et II Physic. quæst. iii, difficul. ii, art. i. Alii negant causalitatem mediam inter causam formalem et materialem præter connotationem effectus formalis, ut Cabero hic tract. ii, disp. iii, dub. ii. Perique qui ponunt unionem esse aliquid medium inter materiam et formam, in ipsa constituunt causalita-

tem formæ, licet difficulter explicetur, quomodo distinguatur a causalitate materiæ in ea sententia, quæ ponit unam tantum unionem inter materiam et formam; nam si dicatur esse causalitatem formæ ut actuatio, et materiæ ut receptio, hoc est quod inquirimus, quid addat receptio et actuatio supra unionem. Tenet tamen eam sententiam Pater Suarez disp. xv Metaphys. sect. vi; Arauzo viii Metaphys. qu. v, art. ii; Carmelitani hic disp. ix, quæst. iii; Cajetanus autem I part. quæst. lxxvi, art. i, §. In responsione ad sextum, dicit causalitatem formæ, esse actum secundum, quo redditur actus subjecti, et hoc non est ipsa forma, neque ipsum subjectum, nec aliquid ens medium, sed subjectum et formam in tali esse indivisa. Quod est explicare causalitatem formæ per ipsam unionem, quæ non est medium inter formam et materiam, sed ipsa forma, ut in aliquo uno concurrens cum materia.

Complicatius videtur explicasse istam causalitatem Martinez II Physicorum, quæst. iii, per tres conclusiones, quarum prima est, quod causæ formalis et materialis est idem influxus, scilicet unio, quod intelligit de influxu in totum; in secunda vero ait, quod influxus materiæ est diversus ab actu formæ, quia materia patiendo et sustinendo influit, actus autem formæ est unio. Et tandem docet, quod influxus materiæ est idem cum influxu efficientis. Unde tenetur fateri, quod influxus formæ, si est idem cum influxu materiæ, sit etiam idem cum influxu efficientis, et influxus efficientis sit idem cum unione; cum tamen in hoc sit diversa ratio inter formam et materiam, quia materia supponitur efficienti, et ab illo patitur, unde cum passivo identificetur cum actione, non mirum, quod causalitas materiæ, ut passivo seu passivus

concursum, identificetur cum causalitate agentis. At vero forma non patitur ab agente, sed producit, et est terminus ejus quo, posito cessat actio; ergo informatio seu causalitas formæ non potest esse idem quod actio, neque ut produccens est, sic enim cessat actio posita forma, neque ut passio est, quia forma non patitur ab agente, sed subiectum.

Nihilominus dicendum est: Quod in forma intrinsece denominante, causalitas formalis, seu actus secundus non distinguitur ab actu primo, superaddendo aliquid intrinsecum, sed solum penes extrinsecas conditiones, quas connotat et requirit. Cujus fundamentum est, quia effectus formalis non distinguitur intrinsece ab ipsamet forma ut communicata, non ergo requirit aliquam causalitatem mediam tanquam rationem formalem actuandi, et communicandi se, si enim effectus non distinguitur ab ipsa causa, neque indiget medio causante ipsum. Nec per aliquam causalitatem secundam est magis in actu forma, quam per seipsam, sed per seipsam immediate actualat et communicatur, requirit tamen aliquid extrinsecum tanquam applicationem, quod immutat ipsam formam, ut communicetur materiæ, sicut unio formaliter fit per ipsam entitatem extremorum immediate, licet requirat immutationem activam, vel passivam, ut ipsa extrema conjungantur. Et defectu hujus conditionis, seu applicationis non semper unio est in actu, nec semper informatio seu causalitas formalis est in actu, quia scilicet remota applicatione, seu conditione requisita, ipsa actualitas formæ non manet passive communicata, licet habeat in se totam formalitatem causalitatis et actus secundi. Et hoc magis explicatur ex differentia inter materiam et formam, quia cum materia causet